



30.

DISPUTATIO JURIDICA,  
DE  
FERIIS.

*Quam*

D. T. O. M. A.

*Permissu & Auctoritate*

Magnifici Domini Ordinarii,  
Amplissimi Dn<sup>i</sup>. Senioris, nec non reli-  
quorum Consultissimorum, inclitæ Facul-  
tatis Juridicæ, in almâ Lipsiensi  
Assessorum,

*Ad diem XIII. Maji,*


In Auditorio Collegii Paulini

*Publicæ disquisitioni subiecte*

GEORGIUS ERNESTUS *Stoßbach*/  
J. U. D.

RESPONDENTE

CHRISTIANO *Schürer*/  
Dresd.



LIPSIÆ,

TYPIS GREGORII RITZSCHII,  
M. DC. XLI.





DISPUTATIO JURIDICA

F. ERLLI

D. T. O. M. A.

Thesauri Domini Ordinali

in Auditorio Collegii Pastoralis

in Auditorio Collegii Pastoralis

CHRISTIANUS ERNSTUS

CHRISTIANUS ERNSTUS

CHRISTIANUS ERNSTUS







IN NOMINE SS. ET INDIVIDUÆ  
TRINITATIS.

DISPUTATIO JURIDICA  
DE

FERIIS.

PROOEMIUM.



INTER varias Juris materias, quæ hæctenus, exercitii causâ; publico disputationis examini, propositæ fuerunt, non postremum sortitur locum, in foro, frequens illa, Feriarum materia, (a) quâ de pauca, & quidem præcipua, quæ ad pleniorẽ ejus cognitionem facere videntur, in medium proferre, placidæque disquisitioni, eruendæ veritatis gratiâ, submittere, constituimus; uberiores ejus resolutionem, his, quibus dilucido eandem commentario, illustrare propositum, relicturi. Ad quod feliciter expediendum, Divini Numinis auxilium, pro Spiritus Sancti impetrandâ gratiâ, submissè imploramus.

(a) Cùm deserentem promissionem judicio sistendi causâ factam, & non venientem in jus, nonnunquam feriæ excusent. Ex numero enim earum Exceptionum, quibus judicium non in totum declinatur, sed tantum



differtur, præ reliquis ferè omnibus, occurrit, Feriarum  
Exceptio, quâ citatus ad diem feriatum, tutus est, ne re-  
gulariter in poenam contumaciæ condemnari possit, sed  
illi alia dilatio danda sit, imò, si adversus taliter citatum,  
judicatum erit, is, nec judicatum facere, nec solvere de-  
bet, *l. si feriatis diebus, § ff. de Fer. & dilat. l. fin. in fin. C. d. t. s.*  
*cap. fin. circa fin. X. eod.* Sic ergò

### THESIS I.

Priusquam autem ad alia deveniamus,  
Feriarum derivationem, ante omnia (a)  
nosse oportet, juxtâ quam Feriæ, in pro-  
priâ significatione acceptæ, (b) à feriendis  
hostiis dictæ, perhibentur. (c)

(a) Tùm, quod ad benè docendum, oporteat primùm  
excutere vocabula, & sicuti rerum intelligentia à verbo-  
rum intellectu pender, ita verborum, priorem, rerum  
autem posteriorem, rationem habendam esse, demon-  
strant J. Cti. *arg. l. 1. in pr. ff. de justit. & jur. l. 1. §. 1. ff. de pact. l. 1. §. 1. ff. de tutel. l. 1. in pr. ff. de furt. l. 2. §. 2. ff. de Reb. cred.*

(b) Apud Antiquos enim quælibet septimanæ dies,  
Feria fuit appellata, ita, ut dies Solis, prima Feria, dies  
Lunæ secunda, Martis tertia, Mercurii quarta, & sic dein-  
ceps. *cap. 1. X. de treug. & pac. cap. cum creatura, 11. X. de ce-  
lebr. Missar.*

(c) Quod his diebus litari (hoc est ritè sacrificare) so-  
leat: unde & ipsæ hostiæ, ab hostire, quod olim ferire si-  
gnificabat, *Treutl. vol. 1. disput. 5. th. 9. lit. a.* feriæ no-  
minantur, *Wesenbec. in paratit. ff. de Fer. n. 2.* Dicuntur  
insuper Feriæ, quasi Fœriæ, exinde, quòd præstent vaca-  
tionem



tionem ab iis, quæ in foro judiciali tractari & agi, consueverunt. *Azo in tit. C. de Fer. num. 1.*

### THESES II.

Præter dies quietos à litibus, Feriæ etiam vocantur Induciæ, Pax, Tempus mutum à judiciis. (a)

(a) *Cujac. in paratit. C. de Fer. lit. B. Dies Feriatici, l. 2. ff. b. r. Dies Feriati, l. si feriatibus, 6. l. Divus Trajanus. 9. ff. d. r. l. 36 ff. de recept. qui arbitr. l. 2. in fin. ff. Si quis in jus vocat: l. custodias. 12. ff. de public. jud. l. miles. 11. §. sexaginta dies. 6. ff. ad L. Jul. de adult. l. Si, ut proponis. 4. C. quomod. & quand. Jud. sent. l. tempora fatalium. 2. in fin. C. de tempor. & reparat. Appell. Undè & Menses Feriati, appellantur, l. 5. C. hic. FERIA. l. 2. C. d. r. Festivæ dies. Azo in tit. C. de Fer. num. 1. in fin. in quo significato nomen Feriæ sumitur in tit. ff. C. & X. de Fer.*

### THESES III.

Nominis inspectionem sequitur definitio Rei, (a) circa quam major difficultas, ac inter Dd. una atq; altera existit varietas, (b) Nos Férias, prout hic vocabulum capimus, ita definimus, quòd sint dies (c) Feriati, quibus forensibus negotiis & juri dicendo judices (d) vacare, nec sui copiam facere consueverunt. (e)

(a) Non dignitate, sed ordine, arg. l. depositi nomine. 5. §. peculium. 3. ff. de pecul. arg. d. l. 1. §. 1. & 3. ff. de furt. & d. l. 1. §. 1. & 2. ff. de pact.

A 3

(b)



(b) Cujac. in parat. C. de Fer. Wesenb. in parat. ff. eod. n. 2.  
11. & Harpr. in tract. de process. jud. Decad 5. conclus. 9. n. 1.  
ita describunt: Quòd sint tempora muta, à judiciis: vel  
dies quieti à litibus, vel dilationes omnium litium, vel  
dies, aut cultui divino, aut colligendis fructibus, seu alii  
rei destinati, quibus judicialis strepitus, conquiescit: Ali-  
ter Treutl. disp. 5. th. 9. lit. b. vol. 1. qui, ferias, dies, ab actibus  
judicialibus vacuos, nominat. Arnold. de Reyer in suo juris  
thesaur. sub tit. de Fer. Denique statuit: Eas esse dies cessa-  
tionis ab operibus & à forensibus negotiis, partim ob ho-  
norem DEI, partim ob hominum utilitatē introductæ.

(c) Non juridici, l. omnes dies. 7. in pr. C. hic. quibus jura  
debent differri, d. l. 7. C. d. t. atque ea habetur reverentia,  
ut nec apud ipsos Arbitros, vel à judicibus flagitatos, vel  
spontè electos, ulla sit cognitio jurgiorum, d. l. 7. l. 10. C.  
hoc tit. l. 1. ff. de Fer. quibus publicorum privatorumq; de-  
bitorum differatur exactio, in fin. d. l. 7. qui à forensibus  
negotiis dant vacationem, l. ult. §. 1. C. hic. Et Magistratus  
jus non dicit. l. Sed si per Prætorum. 26. §. si feria. 7. ff. ex qui-  
bus causis maj. Quarum interventu actor, qui agere vult,  
impeditur, d. l. 26. §. 7. in fin. Quare olim justitium, quasi  
juris stitium, quòd jus tùm stare, nec ulterius progrede-  
retur. Et Nefasti dies, in quibus lege & jure experiri non  
licet, dicebantur. Wesenb. in parat. ff. hic. n. 2.

(d) Idque procedit, non solum in judice, sed etiam in  
Arbitro, sive ab ipsis judicibus sit constitutus, sive per  
compromissum à partibus litigantibus electus. l. omnes  
dies. 7. vers. ut nec apud ipsos Arbitros. C. hoc nost. tit. quia  
Arbitria & compromissa ad similitudinem judiciorum  
sunt redacta, l. 1. l. non distinguemus. 32. §. item si qui Roma. 9.  
vers. Sed compromissum. ff. de recept. qui Arbit. Secus tamen  
in Arbitratore, sive amicabili compositore; Lites enim,  
&



& quæ ad contentiosam jurisdictionem pertinent, die  
feriatâ duntaxat, cessare debent, *l. quadraginta diebus. 6.*  
*l. ult. §. 1. C. de Fer.* Arbitratores autem secundum Dd.  
quosdam, non ad lites, sed ad contractus, transactiones,  
pacta, aliosque actus extrajudiciales, adhibentur.

(e) *l. 1. l. pridie. 5. l. si feriatis. 6. l. Divus. 9. & t. t. ff. de Fer.*  
*l. omnes dies. 7. C. eod. cap. 1. & ult. X. d. 1.*

#### THESIS IV.

Explicatâ definitione, accedit Divisio,  
(a) quæ, licet varia & multiplex sit, (b) Prin-  
cipaliter tamen Feriæ, in solennes, Indi-  
ctas, & Repentinas, distribuuntur. (c)

(a) Est etenim, hic optimus procedendi modus & or-  
do, quo à definitione incipientes, ad divisionem propo-  
sitæ materiæ, successivè devenimus.

(b) Adeò, ut non solum, in divinas & humanas, secun-  
dum *Francisc. Duar. cap. 1. de Fer. Anton. Fabr. lib. 3. Cod. cap.*  
*11. definit. 2. num. 6.* In publicas & privatas; juxta *Speculat.*  
*§. 1. num. 1. de Fer. Wesenb. in parat. ff. hic. n. 3.* In ordinarias  
& extraordinarias; per *l. 26. §. Si feria extra ordinem. 7. ff. ex*  
*quibus causis major. Ludovic. Gillhaus. cap. 5. Ramusc. 6. n. 1.*  
*Matth. Steph. in Oeconom. jur. civ. lib. 4. cap. 12. n. 2.* sed etiam  
in Stativas, Conceptivas, Imperativas, & Nundinales, ex  
*Macrob. lib. 1. cap. 16. Hotoman. & Revard. lib. 5. varior. cap. 19.*  
*teste Treutl. disp. 5. th. 9. lit. e. vol. 1.* Feriæ distinguuntur.

(c) Et in hac triplici differentiâ, communiter Dd. no-  
stri accipiunt Ferias. *Wesenbec. hic. num. 3. ibi: Dd. nostri*  
*communiter tres, & c. Speculat. in tit. de Fer. §. 1. in pr. De*  
quibus nunc ordine th. 5. & seqq. acturi sumus.

THE-



THESIS V.

Solennes Feriæ sunt, <sup>(a)</sup> quæ in honorem ac reverentiam DEI, & Divini cultus gratiâ sunt institutæ, <sup>(b)</sup>

(a) Non incitè Anniversariæ quoque dici possunt, eò, quòd singulis annis recurrant & revertantur, ad quas, tam festa mobilia, quàm immobilia referimus, quippe cum propterea, quòd non semper incidant in eundem diem, non possint desinere esse solennia, *l. 2. l. omnes dies. 6. vers. Sacros quoque. C. hoc tit. l. 3. C. de Episcop. aud.* quæ tamen rursus distinguuntur, in Ferias Majores, seu Festa Augustiora, *Höhe Feste* / & Minores, *Ordin. Cam. part. 3. c. 33.* quæ hæc ipsâ thesi sub lit. b. recensentur.

(b) *l. ut in die Dominico. 2. l. quadraginta diebus. 6. l. omnes dies. 7. vers. His adjicimus. l. actus omnes. 8. l. provinciarum. 9. l. fin. in pr. C. hic. Et t. t. X. eod. Land R. lib. 2. art. 10. ibique Gl. Germ. in verb. Gebundene Tage/welche das Recht gibt.* Vocamus autem Ferias, omnes dies solennes, & ordinariè celebres, honori divino dicatas, scilicet, Diem Solis, quem Dominicum appellamus. *l. 2. 3. 7. vers. In eadem observatione, d. l. ult. §. 1. C. b. t. l. sed etsi. 26. §. si feria. ff. ex quibus causis major.* Item Natalis Domini, S. Stephani, Johannis Evangelistæ, Circumcisionis, Trium Regum, Epiphaniæ, & in Camerâ Imperiali à 24. Decembr. usque ad 6. Jan. inclusivè, *Ordin. Camer. part. 2. tit. 33. Von Vacanten und Ferien. §. 1.* Hisce connumerantur Dies Dominicæ Passionis, & Dies gloriosissimæ Resurrectionis, Ascensionis Christi, *cap. ult. X. de Fer. c. 1. distinct. 3. de consecrat. l. 2. l. 6. Et l. 7. cum ll. seqq. C. de Fer.* Item Feriæ Pentecostes, Dies natalis Johannis Baptistæ, Festivitates Beatæ Virginis



nis Mariæ, nempe Purificationis, Annunciationis &c. duodecim Apostolorum, S. Michaëlis, & omnia festa in honorem DEI instituta. *Ordin. Cam. d.t. 33. §.* Und darzu alle Feyerstage etc. Recessus Imperii Wormatiæ de Anno 1521. ubi feriæ totius anni recensentur: in quibus tamen semper attendendum, quid locorum consuetudines probent. *l. semper. 34. ff. de R. J.*

### THESIS VI.

Anteqvam autem ad alias Feriarum species deveniamus, Quæstio hæc, An in honorem DEI introductæ Feriæ, statuto, vel consuetudine tolli possint? <sup>(a)</sup> tractanda erit.

<sup>(a)</sup> Pro cuius decisione statuendum, quod licet in certis casibus earum observantia statuto, vel consuetudine limitari, minui, & temperari queat, omninò tamen & absolutè abrogari nequit, *l. Provinciarum. 9. C. b. t.* Quia juris Divini dispositionem & Legis antiqvæ constitutionem homines tollere non possunt. *§. Sed naturalia. 11. Instit. de jur. nat. gent. & civ.* Et, si per pactum huiusmodi feriis partibus renunciare non licet, neque per statutum ac consuetudinem illis aliquid auferendum erit, arguendo de pacto, ad statutum sive consuetudinem, *l. non impossibile. 50. ff. de pact.* Idque communi interpretum calculo probari testatur. *Menoch. 1. Arbitr. jud. cent. 1. cas. 30. num. 12. Robert. Marant. part. 4. distinct. 16. à num. 63. usque ad fin. Hieron. de Caval. l. Quæst. practic. 260. num. 11. 12. & 13.*

### THESIS VII.

Indictæ, <sup>(a)</sup> quæ colligendorum vindem  
B miæ,



miæ, messis, & aliorum Fructuum causâ, in-  
dicuntur. (b)

(a) Sive necessariæ, quas ipsa necessitas fervoribus æstivis mitigandis, & Autumnis. *l. præfides Provinciarum, 4. ff. de Fer. l. publicas, s. l. omnes dies. 7. C. eod.* Hoc est autumnalibus fructibus colligendis, invenit & concessit. Quibus deputantur duo menses, Unus est, gratiâ Messium, Alius, gratiâ vindemiarum, *d. l. 5. in pr. junctâ. l. 7. in verb. init. C. h. t.* Statuuntur ergò, fructibus decerpendis in æstate, & in autumno, ad requiem laboris, id est, ut quiescant homines, à causis, cum laborant circa messes vel vindemias, & ita æstas & autumnus, dicuntur indulgentior pars anni; quia indulgent infirmitati hominum, concedentes eis, ad vitam necessaria. Vocantur & humanæ, Ordinariæ, & Legitimæ, *Harpr. disput. 2. de process. judic. cap. 5 conclus. 60. & 61.* Huc etiam referri possunt, Feriæ nundinarum, sive mercatum publicorum. *l. unic. C. de nund. & mercat.* quæ mercatoribus eam præstant libertatem, ne à civibus illius loci, ubi nundinæ aguntur, conveniantur privati debiti nomine, *d. l. unic. C. d. t.* Quales sunt, in Imperio Rom. Francofurtenses ad Mœnum, & Oderam, Lipsienses, Naumburgenses die Petri Pauli, & plures aliæ, quæ undiqve in civitatibus liberis Imperialibus solenniter fieri solent. Nam quod Mercationes hebdomadales concernit, die *Bochenmârckte* / illæ privatae sunt, neque nobis in considerationem veniunt.

(b) *Gl. Germ. ad artic. 10. lib. 2. Land Rechts. in verb. die andern gebundene Tage aber ic.* Occupati enim circa rem rusticam, in forum venire, compellendi non sunt. *l. 1. in fin. pr. ff. nostr. tit. l. ut in die. 2. l. omnes dies. 7. C. hic.*

THE-



### THESIS VIII.

Sed num Feriarum exceptio, etiam iis, qui tempore messium & vindemiarum, non sunt occupati, competat? controversum est. (a)

(a) Quamvis Bart. in l. 1. C. de Agric. & censi: putet, has ferias aliis non prodesse. Et Speculat. in tit. de Fer. §. 1. num. 8. hanc exceptionem restringat, ad eos tantum, qui vel per se, vel per alios occupati sunt: Nos tamen hoc beneficium, non immerito omnibus ac singulis, sive messem procurent, sive non, indistinctè concedimus, l. 1. in pr. l. solet etiam, 3. l. seq. 4. ff. de Fer. l. omnes dies. 7. C. d. t. artic. 10. & 11. verb. in gebundenen Tagen/te. lib. 2. Land R. (1.) Propter generalitatem Edicti Prætoris: Ne quis adversarium tempore messium, aut vindemiarum in jus vocet, d. l. 1. in pr. Ut enim dispositiones legum sunt generales. l. 3. C. de LL. Ita & beneficia Legibus proposita, generatim competunt, & ad omnes pertinent. l. nulla juris ratio. 25. ff. d. t. Et licet (2.) ipse principalis per se non sit capax hujus beneficii: Eius tamen Procurator, Testis, Advocatus, Messem fortè sperat.

### THESIS IX.

Repentinæ (a) Feriæ sunt, quas Imperator (b) ob publicam gratulationem, & Rempublicam benè aut infeliciter gestam extraordinem repentinò indicit & denunciat. (c)

(a) Quæ casu ita ferentè, ex causis inopinatis, nullâ cer-



tâ lege, aut tempore ordinariè introductæ, instituuntur.  
*l. 1. in pr. l. à nullo. 4. C. hic.* quarum certæ species non sunt,  
sed ex variis causis, variè & arbitrato indicentis, distin-  
guuntur. *l. sed etsi. 26. §. si feria. 7. ff. ex quibus causis major.*

(b) Undè non solùm extraordinariæ & humanæ, sed  
etiam Imperiales appellantur, *d. l. à nullo. 4. C. hic.* Ideò,  
quod à solo Imperatore constituebantur, quas, si alius in-  
duxerit, non nominantur feriæ, ac per hoc, si nomine  
eximuntur, fructu etiam carebunt, ut non præstent dila-  
tionem, *sepiùs jam alleg. l. 4. C. h. t.* Hodiè etiam à Principi-  
bus & liberis civitatibus, in suis Provinciis, *argumento il-  
lorum, quæ tractantur ab Andr. Gail. lib. 1. de pac. publ. cap. 6.  
num. 10. & 11. Coler. part. 3. cap. 7. num. 29. & trib. seqq.*

(c) Ut puta, ob diem Natalis, tam sui, quàm filii sui, vel  
coronationis suæ, vel quia uxorem duxit, vel victoriam de  
inimicis reportavit, vel ob luctum, & res bello infelicer  
gestas, vel ob seditionem, vel luem publicam. *l. 1. l. 4. C. de  
Fer. art. 10. lib. 2. Landt. X. in Gl. Germ. sub. verb. Auch seynd  
noch andere gebundene Tage.* Quò non incommodè re-  
ferri possunt Dies precationum, die Beth-Tage / qui  
Christianorum omnium consensu institui solent.

### THESIS X.

Prædictarum nunc feriarum differen-  
tiam, quod attinet, sciendum est, Ferias in-  
dictas, sive rusticas, partium litigantium,  
consensu remitti posse, (a) secus in Solen-  
nibus, (b) & Repentinis. (c)

(a) *Per text. notab. in l. 1. §. 1. ibi: Spontè venerint & c.  
item: Spontè litigantibus. l. si feriatis diebus. 6. vers. Nisi ex  
voluntate partium. ff. nos. tit. cap. ult. in verb. fin. X. eod.*  
eò



edò quòd principaliter in favorem partium sint introdu-  
ductæ, cui renunciare licet. *l. si quis. 29. circa fin. C. de pact.*  
Tùm quòd verba de feriis hisce, ita sint concepta, ut ne-  
mo invitus, hoc tempore in jus vocari debeat. E. Argu-  
mento à contrario sensu ducto, si nimirum consentiant  
partes, possunt in jus vocari, *d. l. 1. ff. de Fer.*

(b) *cap. fin. in verb. ut consentientibus etiam partibus. X.  
h. t.* Quia lege morali, quæ æterna & immutabilis est, ju-  
bemur diem Dominicam sanctificare, & ab omnibus  
profanis operibus & negotiis quiescere. Ex quo fit, quòd  
Feriæ in honorem reverentiamq; DE I constitutæ, prin-  
cipaliter cultum divinum, non partium favorem con-  
cernant. *d. cap. fin. X. de Fer.* Pactis itaque Privatorum, Ju-  
ri Publico nil quicquam derogari, notum est, *per cap. si  
diligenti. 12. X. de for. compet. l. jus publicum. 38. ff. de pact.*

(c) In quibus idem, propter similem rationem, quòd  
videlicet, magis ad publicum, quàm partium spectent  
favorem, receptum est, *l. sed etsi. 26. §. si feria. 7. ff. ex qui-  
bus causis major. l. sive pars. 3. C. de dilat.* Pro cujus ulterio-  
ri resolutione ac decisione inspiciendus est. *Johan. Zang.  
part. 2. cap. 7. num. 10. & 11. Chil. König in process. cap. 42. n. 33.  
Vultej. lib. 2. Jurispr. Rom. cap. 30. num. 49. Sebast. Nev. ad l.  
6. ff. de Fer. Bocer. class. s. disput. 2. th. 22. & seqq.*

### THESIS XI.

Quoad causam efficientem, distingui-  
mus, inter Ferias Solennes & Indictas, (a)  
& inter Ferias Repentinas. (b)

(a) Quia hæ constituebantur olim, secundum mores  
& consuetudinem, à Pontificibus & Magistratibus majo-  
ribus, puta Dictatoribus, Consulibus, Proconsulibus,



Prætoribus, Præsidibus, *l. si in aliam. 7. ff. de offic. Præcons.*  
*l. sed etsi. 26. §. si feria. 7. ff. ex quibus causis major. l. Præs-*  
*des. 4. ff. de Fer. l. Provinciarum. 9. C. eod. cap. conqvestus.*  
*circa med. C. d. 1.*

(b) Quarum causa efficiens, est solus Imperator & Princeps, qui eas indicere potest. *l. à nullo iudice. 4. C. h. s.* Prout itaque ab eo indictæ & inductæ, ita etiam propter summam ejus reverentiam servandæ sunt: aliàs tam in his, quàm in illis, datur feriarum Exceptio, quæ licet Dilatoria sit, cum dilationem temporis tantum tribuat, *arg. l. 2. §. 4. l. 3. ff. de Except.* Tamen in quâlibet parte iudicii, eò, quòd gravamen successivum habeat, & actum continuum comprehendat, rectè opponendam esse, cum Zang. *part. 2. cap. 7. n. 4. de Except.* statuimus.

### THESIS XII.

Forma, & tempora colendarum Feriarum, Lege præscripta sunt. (a)

(a) *l. 2. l. omnes dies. 7. l. fin. C. hoc nostr. tit. Wesenb. in paratit. ff. eod. num. 6.* Quòd pertinent ea, quæ ratione Solennium, & Repentinarum Feriarum, *in th. 5. & 9.* adducta fuerunt, quibus circa necessarias, Messium & vindemiarum ferias, & hoc adjiciendum erit, quòd illæ regulariter, & de Jure Civili ab 8. die Julii incipiant, & ad 14. Augusti. inclusivè durent. *Recess. Imper. Wormat. de Anno 1512.* Hæ verò à 10. Cal. Sept. usque ad Idus Octobr. æstimentur, *d. l. 2. C. hic.* nisi quid aliud ex inveteratâ consuetudine alicubi observetur. In his enim Feriis necessariis, cum non tam temporis, quàm fructuum ratio habenda, & in quibusdam locis tempestivius fructus maturentur, quàm in aliis, puta in maritimis, quàm montanis, & in cali-



calidis, quàm in frigidis Regionibus: Ideòque Regionis  
cujuslibet occasione, & fructuum necessitate, aliter ci-  
tius vel celerius indici & constitui possunt. *l. 4. ff. h. t.*  
Undè etiam Indictæ vocantur. *l. si in aliam. 7. ff. de off. Pro-  
conf.* Ne commodum, coelesti munere datum, temporis  
ratione non habitâ, pereat. *l. 2. l. 3. l. omnes. 7. C. h. c.*

### THESIS XIII.

Hic occurrit dubium: quando Feriæ  
nonnunquam discrepant, Et in loco ubi  
habitat Reus, priùs indicuntur, quàm in lo-  
co, ubi moratur Actor vel Judex: utrum  
Actoris, An Rei, An demùm judicis Feriæ  
observari debeant?

Posterius regulariter verum esse existimamus. *arg. l. 3.  
§. fin. ff. de testib. l. 1. §. in honorariis. 10. ff. de var. & extraord.  
cognit. cap. cum venissent. X. de eo, qui mitt. in possess.*

Quia (1.) Feriæ dicuntur, quibus judicialis strepitus  
conquiescit, & judex sui copiam sive potestatem non fa-  
cit, prout notavimus *supr. tb. 3. lit. c.*

Quia (2.) locus contractus attendi debet, *l. si fundus. 6. ff.  
de Evict. l. semper in stipulationibus. 34. ff. de R. J.* Atqui in lo-  
co, ubi Judex commoratur & jus reddit, quasi contrahere  
censeatur Litigantes, litem contestando.

### THESIS XIV.

Ubi, de materiâ, circa quam Feriæ versan-  
tur, tractandum, sub quâ comprehendun-  
tur omnes Actus tam publici, quàm priva-  
ti,



ti,<sup>(a)</sup> qui causæ cognitionem requirunt, & sine strepitu iudicii peragi nequeunt.<sup>(b)</sup>

(a) Intellige Actus iudiciarios, qui inter litigantes & contententes exercentur. *l. fin. C. de Fer. Et contentiosæ jurisdictionis. l. 7. in verb. fin. omnium publicorum, privatorumque. l. seq. 8. in pr. C. hoc. nost. tit.* Nam ea, quæ ad voluntariam jurisdictionem spectant, & ad extrajudiciales actus pertinent, quolibet tempore, etiam feriato, explicari possunt. *d. l. actus omnes. 8. C. hic. & l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. l. 6. ff. d. t.* Unde pacta, transactiones, emancipationes, manumissiones, & adoptiones, hisce feriis celebrare, prohibitum non est. *l. 2. l. 8. & l. fin. §. 1. circ. med. C. h. t.*

(b) arg. *l. 1. in verb. appellationum causis. C. hic.* Regulariter namque omnia ea, quæ iudicii indaginem requirunt, diebus feriatis, non solum de jure civili, sed & de jure Saxónico, cessare debent. *Landt. R. lib. 2. art. 10. circ. verb. in gebundenen Tagen. & art. 11. in fin. cum art. 66. ibi: Heilige vnd gebundene Tage re. die / secundum Gl. Germ. darumb also genennet werden / daß in solchen Tagen man von Gerichtlichen Klagen ruhen / vnd kein Gericht darinnen gehalten werden soll.* Ab hæc tamen generali regulâ multi excipiuntur casus, de quibus *in Tb. 17. lit. b. dicetur.*

### THESIS XV.

Sed An citationis executio, ipso die festo, ad alium diem non festum, jure fieri possit?

*Contra Hieron. Trent. disput. 5. th. 9. lit. f. volum. 1. affirmamus, Quia (1.) citationis executio non requirit strepitum*



tum judicialem: Sed (2.) est actus quasi extrajudicialis, qui domi privatimque expediri potest. Nec causæ cognitionem (3.) desiderat: cessante igitur ratione Prohibitionis, cujus fit mentio in *l. 1. ff. de Fer. l. ult. C. d. tit. cap. 1. cap. ult. X. eod.* merito etiam ipsa cessat prohibitio, *l. quod dictum. 32. ff. de pact. cap. cum cessante. 60. X. de Appellat.*

De oblatione Libelli, utrum diebus feriatis, Accusator Præsidem adire, & Libellum dare possit, non exiguus quidem inter Dd. est conflictus: Sed nobis ex eadem ratione, quod Præsentatio Libelli, nullam causæ cognitionem requirat, affirmativa prævalere videtur. *juxta l. miles, 11. §. sexaginta. 6. ff. ad L. Jul. de adult. l. 2. C. de Fer.*

### THESIS XVI.

Finis Feriarum est varius. Est enim vel cultus divini præstatio, <sup>(a)</sup> vel Fructuum collectio, <sup>(b)</sup> vel gaudii, tristitiæve participatio. <sup>(c)</sup>

(a) Ut quoad Solennes, multitudo à curis Prophanis feriata, cultui divino det operam. *Genes. 2. v. 3. Exod. 12. v. 14. l. omnes. 7. l. fin. C. hic.*

(b) In necessariis verò, & indictis, ut Agricolaë litibus vacui, colligendis tempestivè fructibus, vacare possint. *l. 1. l. 2. ff. hic. l. 3. C. eod.*

(c) Circa Repentinas denique, ut publicum gaudium, luctusve, publico justicio celebretur. Quibus & addatur finis nundinarum, ut necessaria comparentur. *l. unic. C. de nundin.*

C

THE-



## THESIS XVII.

Observatis hætenùs iis, quæ ad Feriarum aliqualem cognitionem pertinent, restat denique earum effectus, qui tantus est, Quod, quamvis aliàs, lites cursim expediri, publicè interfit, <sup>(a)</sup> Judicia tamen in feriis quiescere debeant. <sup>(b)</sup>

<sup>(a)</sup> Ne fiant immortales, *l. 21. in fin. ff. de R. C. l. 1. §. 10. ff. de oper. nov. nunciat. l. properandum. 13. in pr. §. 1. C. de judic. cap. jurgantium, X. de sent. §. Re judic.*

<sup>(b)</sup> Ab Imperat. siquidem Leone & Anthemio, in *l. ult. C. de Fer.* expressè constitutum est, ut in feriis taceat apparitio, delitescat Advocatio, Præconis horrida vox filescat, Judicium namque diebus feriatis agitatum, ipso jure nullum est, & sententia lata non subsistit. *l. si ut proponis. 4. C. quomod. §. quand. Jud. l. 1. C. de Fer.* Sed hæc universalis Regula multis variisque modis declaratur & non procedit.

(1.) In causis Summariis, & quæ sine strepitu judicii peragi queunt, quæque nullam cognitionem desiderant. *arg. l. 2. §. 1. ff. quis ord. in possess. serv. Zang. part. 2. cap. 7. num. 10. de Except.*

(2.) Quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, *l. 2. ff. de Fer. l. actus. 8. C. eod. tit.*

(3.) In causis pietatis, operibus misericordiæ, & charitatis Christianæ, *cap. conquestus. ult. in verb. vel pietas suadeat, X. de Fer. l. 1. §. fin. cum l. seq. ff. d. tit. Andr.*

*Geil.*



*Geil. lib. 1. observ. 53, n. 13. Quia in operibus misericordiae,  
dierum distinctio non est habenda.*

(4.) Si necessitas urgeat, aut causa celeritatem desideret. *l. sed et si. 28. §. 3. 4. ff. de judic. cap. fin. in fin. X. d. t. cap. 3. & d. cap. fin. X. b. t. l. 1. ff. de damn. infect. l. 1. §. 2. l. 3. in pr. ff. hic. l. 3. C. eod.*

(5.) In causis quæ non differri Reipubl. interest & publica utilitas svadet. *l. pen. ff. b. t. l. 5. §. 1. l. pen. C. eod. l. custodias. 12. ff. de publ. judic.* Undè vulgares illi versiculi :

*Hæc faciunt causas festis tractare diebus  
Pax, scelus admissum, manumissio, Res peritura  
Terminus expirans, mora, testis abesse volentis  
Cumque potestatis patriæ jus filius exit.*

### THESES XVIII.

Hinc ultimo loco Quæritur: An quoad interponendam Appellationem, tempus Feriarum præstet impedimentum?

Quod negamus. *cum Azon. in tit. C. de Fer. num. 5. vers. Item quolibet tempore appellari potest. Gvid. Pap. consil. 205. num. 11. ibi: quia die feriatâ &c. Speculat. de Fer. §. 2. num. 2. Just. Mejer. in Colleg. Jurid. Argentor. sub tit. de Fer. & Dilat. num. 21. in fin. Bocer. class. 6. Disput. 16. th. 33. Per textum, cum Gl. in l. 1. C. de Fer. Ubi disponitur, quòd quolibet feriato tempore, in quâlibet causâ appellari quidem possit, sed appellationis causa tractari nequeat. Appellationis enim interpositio, coram iudice extra*



judicium fieri potest, nec confestim judicis cognitio,  
deferendum sit Appellationi, nec ne? necessaria est.  
Et si aliter diceremus, facile fieret, ut sententia trans-  
iret in judicatum, & opprimeretur pars innocens. *Gloss.*  
*d. l. 1.*

Atque hæc de Feriarum materiâ, non quidem pro  
ipsius dignitate, sed pro ingenii tenuitate dicta suffi-  
ciant.

## Jehovæ Maximo, maxima Gloria.






VOM









30.  
DISPUTATIO JURIDICA,  
DE  
FERIIS.

*Quam*

D. T. O. M. A.

*Permissu & Auctoritate*

Magnifici Domini Ordinarii,  
Amplissimi Dn<sup>i</sup>. Senioris, nec non reli-  
quorum Consultissimorum, inclitæ Facul-  
tatis Juridicæ, in almâ Lipsiensi  
Assessorum,

*Ad diem XIII. Maji,*


In Auditorio Collegii Paulini

*Publicæ disquisitioni subjicit*

GEORGIUS ERNESTUS *Stoßbach*/  
J. U. D.

RESPONDENTE

CHRISTIANO *Schürer*/  
Dresd.



LIPSIÆ,

TYPIS GREGORII RITZSCHII,  
M. DC. XLI.